

*Pulsus inæqualitas*

maior velocior, tandem frequentior: idem dico de corde, secundum intensiorem caliditatis. Sed si aliqua materia aggrauat spiritus, fit summa inæqualitas, prout est summa grauitas materię aggrauantis: nam immediata causa, quę facit inæqualitatem, est materia aggrauans, quia secundum proportionem materię aggrauantis, inæqualitas fit in pulsu & motu cordis. Vnde cum nos videamus in corde huius Reuerendi Abbatis esse motum inæqualitatis, videlicet tremorem & palpitationem, ita quod inter systolen & diastolen nulla sit æqualitas, quę appellatur quandoque tremor, quandoque palpitatione, 4. Aphorif. 6. Hic est inæqualitas in corde, ergo à materia. Quia non est tantum ratione caliditatis, sed vitio materię: sed cum materia sit duplex, quędam corpulenta, quędam spiritalis. Quęnam hęc erit? Est manifestum sensui, quod sit vaporosa, quę cum ascendit ad cor, & permiscetur spiritui claro, spiritus qui est de natura ignis, & habet duos motus contrarios: & quando est necessitas spiritus, non est mirum, si faciat varios motus secundum varietatem causę. Galenus dicit, quod idem facit spiritus & virtus grauata ab aliqua materia, qđ baiulus qui aggrauatur magno pondere, quandoque velociter ambulat, vt deponat onus, quandoque sistit, vellet citò ambulare vt deponeret: sed quia aggrauatur, non potest, idem facit spiritus aggrauatus multitudine materię. Et ita apparent causę, vnde proueniat impedimentum in cerebro, vnde tremor cordis, & actiones diminuuntur in ventriculo & hepate propter frigiditatem scilicet, me etiam tacete, quia concoctio est elixatio quędam. & cum sit frigiditas & siccitas in membris senum licet humiditas infusa, cum nihil sit de eo quod facere possit concoctionem, quomodo concoquetur? inde etiam non est mirum, si retinentur fęces. Cuius causę sunt plures: primò pituita viscida: secundò priuatio bilis: tertio flatus fęces suspendentes: deinde virtus expulsiva in se debilis, quę corroboratur à calore: calori enim debentur omnes actiones, præcipuè vbi essentialiter membrum expellens seipso redditur imbecillius. Hic est dubium vnde sit, cum parum admodum comedat, quod ad proportionem cibi longè plus egerat, quàm comedat.

Hic dicitis, quod aer exterius attractus condensatur vt fiat aqua: ex hac pituita: non possum hoc dicere: nam sunt fęces quę egeruntur, non humores, & quę excernuntur, videmus crassa in maiori quantitate, quàm sit totum quod ipsum alit. Hoc videtur impossibile, quia pars nõ potest maior esse toto suo, cum excrementum sit pars excrementati, ergo quomodo maius? Quid igitur dicendum? Clarissimi Dd. credo quod imponat sensui nostro apparentia illa eiectionis: aliquando intumescit illa materia, plurimi flatus occupant maius spatium: si remoti flatus essent, minoris quantitatis apparerent. Quod ibi sint flatus plurimi signum est, quia omnia sunt suspensa, ea iterum omnia ratione flatus supernatant. Vnde credo quod non sit excrementum, plus suo toto, sed propter flatus maius videtur. Hęc sunt omnia symptomata, quibus afficitur. His suppositis,

**A** quid dicendum circa curationem? possumusne eam tentare? estne curabilis? Natura rei indicat, an sit curabilis ægritudo necne. Nos diximus ægritudinem hęc esse contractam ex tribus causis dictis. Primò quod ad rationem victus pertinet, facile possumus occurrere. Secundò quatum ad inæqualitatem membrorum, non possumus occurrere, sed moderari illam. Tertio, scilicet quantum ad senectutem, omnino nõ possumus medicinam adferre. Non enim potest amplius restaurari humiditas radicalis, quia si id possemus, inueniremus modum vt senes redderentur iuuenes, quod secretum nunq̄ inuentum est, quia hoc fitum est in manu Dei. Quomodo ergo integrè curabimus, cum nõ possimus integrè restaurare calidum & humidum radicale? Credo itaque quod omnino sit incurabilis, & non possit aliam curam recipere, quã curatione senũ gerontocomicen à Gal. in 5. de Sanit. tuen. dictã. Quomodo curantur senes? dicam liberè quod sentio, credo quod non alia cura sit adhibenda, nisi ista. **C** Primò, vt habeatur optima ratio victus perpetuò in senes isto, nunq̄ debet redire ad pastilia, pisces, caseum. Victus autè senum recitatur à Galeno de senes illo Grammatico Telepho, qui supra 100. annũ vixit, & Antiocho Medico 80. Vtatur potius vino valido q̄ debili. Oh, est catarrhus? est, propter crudelitatem, non est sicut in iuvene. Vinum conuenit senibus, quo nihil magis nocuum pueris. Vtatur carnibus hęcudinis, quas laudat Galen. Agniam fugiat, quia nimis viscida & pituitosa. Fiant inter reliqua frictions. Et sunt frictions manè faciendę, illitis manibus oleo amygdalarum dulc. vel chamomillino, quę debent esse longę, sed molles per longum tempus. Præstantissimum enim hoc remedium ad confortandum & roborandum calorem in senibus, cum nõ possint se exercere. Galenus de Antiocho medico dicit, quod per tria stadia solitus sit ambulare: vehebatur curru, & vixit sanus 80. annos. Sed oportet vt animaduertat omnes optimè, quoties priuatur medicamento purgante, incidit in varias molestias propter superfluitates. Sunt igitur excrementa euacuanda, sed non cum iis, quę habent vim exiccandi, quia modica humiditas radicalis planè absumeretur. Nollem hierain, quamuis benignam, & educat fęces, tamen in senibus cauendum ab his propter exiccationem. Cum quibus igitur procedendum? vellem quod assiduè vteretur terebinthina Cypria ad quantitatem quam potest accipere, quia non exiccatur, tamè educit. Longa matrona de gente Cornelij antiqua erat nonagenaria, pulcherrima anus, quę vtebatur assiduè per 20. annos penè quotidie terebinthina cum saccharo: & nisi fuissent accidentia animi propter discordias filiorum, nondum mortua esset. Est necessarium quod semper euacuetur iste senex, sed nunquam aliquo medicamento solutiuo, nunquam ad agaricum ascenderem, modicũ rhabarbari dari posset. Item syrupus rosatus solutiuus, interdum casia, sed inter reliqua terebinthina potissima est, possumus vti his indifferenter. Galenus laudat ad confortandum calorem in senibus theriacam, quam non habemus: vix habemus Mithridaticum,